

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 3233

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

909

## P A T R I S T I C I .

910

successit, autorem inclinat; *Mauriani* loc. cit. in *Admonit. Marium Mercatorem* mallent, neque tamen *Garnerii* rationes diluunt, cui praeterea *Liber noster sextus* suppositius aut saltem addititius videtur, cum praeter alia saepe sejunctus a ceteris, ut in nostro Cod. inveniatur. Illud insuper notatu dignum, quod testatur *Hincmarus Rhemensis lib. de Praedest. c. I.* visum fibi Codicem, in quo *Liber* hic post opus de *Odo Quæstionib.* *Dulciti* subjungebatur, id, quod et in nostro Codice factum vides. Subscribitur is forma illa literarum, quam *Mabillo-nius Francicam* seu *Carolinam* vocat, cujusque alphabetum exhibet *Tab. II. n. 2. de Re Dipl.* p. 347. in hunc modum: *Deo gratias sine fine semper. Istum librum indignus Gerbardo Helmwardi scripsi pio. Sequentem alium deo adiuuante. et uita comite gratiaq: placatus. celeriter peragam.* Sed hujus Libri parum jam supereft, ut sequitur.

VII. fol. 53. p. 2. *Incipit Ordo De Numero Annorum Indictae Penitentie Per Consilium Sacerdotum.* Initium est: *Septem igitur annorum tempore debes habere poenitentiam indictam &c.* Post 15. lineas cetera deficiunt. Quod eo magis dolendum, quo melioris notae Codex est haec tenus, neque negligendus iis, qui *Prosperi* aut *Augustini Scripta* olim for-

taffe retractaturi sunt. Quae porro sequuntur, ad Sec. XI. pertinent.

VIII. fol. 54. *Epistolæ et Evangelia* per annum in Ecclesia legi solita, sine titulo, ex interpretatione vulgata. Initium est a *Dominica I. Adventus* hoc rubro: *Legitur epistola bauli. a. ad Romanos. Fratres Scientes quia hora est &c.* Non respondet tamen *Lectionarium* istud exacte hodierno Missali Romano. Dominicæ enim I. *Adv.* adsignat Evangelium: *Cum appropinquasset ihesus hierosolimis &c. Matth. c. 21.* Dominicæ III. Epistolam *Pauli ad Corinth. I.* *Sic nos existimet homo &c.* Pertingit usque ad Fer. VI. in *Parasceve*, et in iis *Passionis sec. Johannem* verbis deficit: *Sicut mos est iudeis separare.*

CCLIX. VII. H. 3.

*Codex chartaceus lat. Sec. 681 XV. Folior. 83. 4. currente calamo exaratus continet I. *Prosperi Aquitani Scriptoris Sec. V.* notissimi *Librum Epigrammatum* e D. *Augustini Sententiis* conflatum, cuius Editiones varias enumerat *Fabricius Bibl. lat. med. aevi L.* XVI. p. 14. Cum vero ultima *Parisina* 1711. f. mihi ad manum non sit, *Prooemium*, quod in Edit. *Lugdun.* 1672. f. non reperio, e *Codice* huc transfero:*

*Hec augustini sacris epygramata dictis  
Dulcifono rethor componens carmine prosper*

*Ver-*

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 3233

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

911

## C O D I C E S A

912

*Versibus hexametris depinxit penthametrisque  
Floribus ex uarijs ceu fulget nexa coronis.  
Nunc ergo (ego) te lector relegis qui hec sedulus oro  
Attentas adhibere sonis celestibus aures.  
Istic inuenies animi si cura subintret  
Maxime (maxima?) que doceant sacre moderamina legis  
Observare homines (et) qui (quae) sibi maxime (maxima) monstrant  
Sydereum celi cupiunt qui scandere regnum.*

Dicitur quidem praevie, *Prosperi* esse istud *Prooemium*; sed tam parum *Prosperum* refert, quam

fol. 23. *Epilagus*, quem pariter hic addo, quantum licuit, emendatum:

*Nobilis hic calamus deponit prosper agrestem  
Multaque deducens dulci modulamine fila  
Traxit et besperio jam longas vellere pennas  
Purpureo et fuluas suspendens stamine telas  
Auratum facilis texit facundia peplum  
Serica percurrit radio perfulgida lingue  
Inserit eloquio gemmas interque micantes  
Instar siderei celi depinxit amictum  
Floribus auricomis tellus quos fundit opima  
Vel sinus equoreus spumoso e marmore profert.  
Omnia more apium mentis iam peruolat alis  
Colligit ambrosios celesti neclare rores  
Implet odoriferum faui subtemine amictum  
Oris et officio stipat cellararia plena  
Sic opus ammirans simplex textura coruscum  
Tu rogo quisque leges sensum et libabis odores  
Indue te chlamideque dei sacrisque parentum.  
Arbiter omnipotens sceptro qui cuncta gubernas  
Alme parens christi uotis miserere precantum  
Dignare et famulis uitam donare perhennem.*

*Prosperi* quae sunt, sic ineunt:

*Dum sacris mentem placet exercere loquelis &c.*

Sed non eodem prorsus ordine procedunt, quo in cit. Edit. Lugd. et satis mendose descrip-

ta sunt; habent tamen in calce cum subjecta Elegia *Anacreonticum* illud:

*Age iam precor mearum &c.*

quod majori jure ad *Paulinum Nolani* pertinere videtur.

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 3233

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

913

## P A T R I S T I C I .

914

II. fol. 23. p. 2. sequitur *Tobias Poema elegiacum autore Matthaeo Vindocinensi*, qui illud conterraneo suo *Bartholomaeo II. Archiep. Turonensi* Sedem ab a. 1175. ad a. 1206. tenenti inscripsit, unde de Scriptoris aetate constat, ruitque eorum opinio, qui Nostrum cum *Matthaeo S. Dionysii Abb. pariter Vindocinensi*, verum anno demum 1286. teste *Gallia Christ. T. VII. col. 395.* defuncto confudere. Poema porro istud pro aevo suo satis concinnum pluries typis prodidit; illud tamen mirum, *Job. Heroldum*, qui illud e Codice *Zwifalt.* apud *Job. Oporinum Basil. 1563.*

4. impressit, tam parum de praef-

viis Editionibus *Lugdun. 1505.* *1538.* et *Argent. 1510.* scivisse, quam parum de *Heroldiana* scivit *Job. Heringius*, qui illud ut *'avenditor'*, *Bremae 1642. 8.* prelo submisit. Et *Argentinensis* quidem e prima *Lugdun.* expresa Didascalie cuiusdam *commento* instruta est, cuius tamen *Prooemium* ab eo diversum est, quod *Codex* noster hoc initio praefert: *More aliorum poetarum auctor iste tria facit, proponit inuocat et narrat &c.* In hoc *Prooemio Matthaei Vindocinensis* nomen bis memoratur. Poema ipsum tantum inscribitur: *Incipit Liber De uitathobie.* Praefationis initium:

*Ex agro veteri virtutum semina morum  
Plantula iusticie pullulat ampla seges. &c.*

Dicationis:

*Ecclesie turonensis apex ouium speculator  
Et speculum presul bartholomee faue &c.*

Dist. 3. ubi legit *Argent.* Edito: *in quo concessit honesto Forma pudicitiae*, et *Basil. in quo consensit honesto &c.* rectius habere videtur Codex: *in quo consentit honestae Forma pudicitiae.* In Dist. ult. *Transfert Hieronymus*,

*exponit Beda &c.* contra omnes ponendum censeo: *Hieronymus transfert, exponit Beda.* Satis enim adcuratus alias est quantitatum observator *Matthaeus.* Opus ipsum incipit:

*Tobie natale solum galilea voluntas  
Sacra timor domini religiosus amor &c.*

Carmen volubilitate se commendet, nec lusuum expers, quales

Posteris in exemplum cessere, ut illud:

*Odit, amat, reprobat, probat, execratur, adorat,  
Crimina, iura, nefas, fas, simulachra, deum.*

*Denis Codd. mss. theolog. Bibl. Palat.*

M m m

*Fas,*

2025-07-01

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 3233

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

915

## C O D I C E S

916

*Fas, simulachra, deum, probat, execratur, adorat,  
Odit, amat, reprobat, crimina, iura, nefas.*

Sub finem, ubi Poeta Urbes adloquitur, 6. Disticha, quae maxime ad Historiam faciunt, in Co-

dice desunt; claudit tamen ille cum Impressis:

*Explicit expletum thobiam qui legit instet  
Thobiam merita religione sequi.*

Adi, si lubet, *Fabricii Bibl. med. Lat. L. XII. p. 54. et Leyseri Hist. Poet. med. aevi. p. 765.*

III. fol. 61. p. 2. *Hic incipit uita pilati metrica. Praeambulum satiricum incipit:*

*Si veluti quondam scriptor uel scripta placereant  
In noua dicenda multi uelud ante studerent.  
Sed sic sub uicio cunctorum corda tenentur,  
Ut si qui scribant quasi delirare probentur &c.*

Historia vero nugatoria:

*Vrbs fuit insignis ueteres hanc constituere  
Moganus atque scia flumen riuusque dedere  
Nomen et inde fuit primum moguncia dicta &c.*

Ibi igitur e concubina *Pyla Atus Rex Pilatum* procreavit, qui post multa scelera αὐτοχεῖς et in *Rhodanum* praecipitatus naves ibi in profundum trahebat, dum eum Clerus Populusque *Lugdunensis*

piscarentur, interque *Alpes* abjicerent, quae Fabula fortasse *Monti* et *Lacui Pilati* nomen detinat. De Autore Poematii ita in Praeambulo:

*Ergo Scriptoris nomen patriamque tacebo  
Nec sine Scriptore laudari scripta dolebo.*

Itaque et *Leyserum suprac.* latuit, qui p. 2125. Exemplum ms. *Bibl. Helmstad.* excitat. Nostro subscriptum: *Finis est anno domini 1453. in sua epiphanie.*

IV. fol. 66. p. 2. Congeries Verficularum, quorum primi de diversis *Animalium* vocibus, alii

de Origine *Teutonicorum*, alii de Origine *Francigenarum*, alii demum variarum Sententiarum paraphrastici, puta in illud: *Vbi thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Item in illud: *Praua colloquia corruptunt bonos mores &c.* Omnes invita Minerva protrusi.

V.

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 3233

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

917

## P A T R I S T I C I

918

V. fol. 72. Definitiones Logicae, Metaphysicae et Ethicae in Tabellas redactae, levis momenti.

CCLX. *adlatu[m] a g[raecis]*

*Cod. 847* 682 Codex membraneus lat. Sec. minimum VII. Folior. nunc 115.

4. Formae pene quadrae, charactere magno quadrato elegan-  
tissimo, absque vocum distinc-  
tione, exaratus, rubricis notatus,  
adlatus olim ex Arce *Ambrasiana*,  
maximique pretii jam a *Lambe-  
cio L. II. p. 799. edit. Kollar.  
col. 624.* descriptus est, adjecto  
etiam gemino cum picturarum,  
tum literarum aeri incisarum spe-  
cimine. Videtur ille porro ex  
duobus coaluisse; priora enim 7.  
*Folia*, quorum primum et ulti-  
mum Figuram Crucis a *Lambe-  
cio* exhibitam, sextum graecam  
IV. *Evangeliorum* Inscriptionem,  
reliqua, videlicet 2. 3. 4. et 5.  
*Canones* graecos *Harmonicos* Eu-  
sebii continent, manifeste ad quen-  
dam ejusdem aetatis *Evangelio-  
rum* graecorum *Codicem* pertinue-  
re. Hallucinatus est igitur *Baudelotus*, dum T. II. de *Utilit. Itiner.* edit. *Rothomag.* 1727. p. 127. 8. scripsit: *C'est un Ouvrage de Ruffin sur la Genèse, qui a plusieurs Titres Grecs*; nec una ratione hallucinatus; nam *Libri II. Rufini Aquilejensis* Presb. qui ad an. 410. vitam produxit, tantum abest, ut totam *Genesim* amplectantur, ut nonnisi in XII. *Patriarcharum Benedictiones Cap.* 49. contentas, quod omnes Eru-

diti norunt, commententur. Quare oculos intendere oportebat Οδοιπόρον illum, ut multos alias sui generis. Praeit jam in *Codice hosce Libros Epistola Paulini inscripta: Paulinus: Rufino: Fratris Sal.* Editio Operum *Rufini Parisiis a Ren. Laur. De la Barre* 1580. f. curata, quae sola ad manum est, interserit: *Nolanus Episcopus. Epistolae initium: Uel Breuis Nobis Ab Unianimitate Tua Litterae Magno Refrigerio Sunt. &c. Fol. 10. p. 2. succedunt: Rescripta Ad Presbyterum Paulinum* (itaque nondum Episcopum) *De Iudee Benedictionibus. Initium: Quanto Magis Ego Me Tibi Excuso &c. Graeca, quae in hoc responso occurunt, spiritibus et accentibus destituta sunt et recte habent, nisi, quod H bis rediens priori vice per h exprimatur. Fol. 15. Incipit Expositio Benedictionis Iudee: Iuda Te Conlaudent Fratres &c. Finis: Reuelata Facie Gloriam Domini Speculari. Fol. 42. altera Paulini Epistola inscripta: Paulinus Fratri Salutem. Initium: Esti Incertum Mibi Fecit Filius Cerealis &c. Haec Epistola a verbis: capessere commisimus epistolam istam &c. charactere paullo minore et compressiore, sed tamen quadrato exarata est, una cum sequente tota, quae inscribitur: Incipit Rescripta Ad Eum. Rufinus Fratri Paulino Homini Dei, et orditur: Communem Quidem Filium Cerealem &c. Finis ab Impressis discrepat; habet enim tantum: aliis propinas. —*